

nelius Centurio, Italicensisque, Petro predicante, repletur Spiritu sancto: Hierosolymisque denunciata solei Gentilium ad fidem Christi conversione, Cornelius vite baptizatus floret. Italicensem illum fuisse, videtur testari Lucas Act. 10. 1. Cornelius Centurio cohortis, que dicitur Italica. Vide Bivarium Commentario III. in Dextrum ad Annum 34. qui hanc firmat existimationem ex Sancto Hieronymo Tom. 1. Epistola ad Lucinum natione Bacticum: & recte observat, non solum Cornelium Centurionem, sed ejus etiam cohortem ab Italica Hispania urbe originem duxisse; nam cohortes a nationibus militum nomina sumpsisse, nemo est qui neget. Haud dubium (ait Baronius ad Annum Christi 41.) ejus Nationis illos milites fuisse, ex qua cohors erat denominata. Centurio igitur Cornelius, ejusque cohors, Hispanienses erant; ad quorum conversionem potissimum illa visio spectabat; Hispana enim Gentilitas ad fidem conversa, vere primitia ceterorum Gentilium extitit, ut aiebat Dexter ad An. 36. Cumque ad Evangelicam fidem se receperunt, singulari certe prerogativa facti consortes sunt Dominice mortis & sepulturæ; peccato omnino mortui, & cum Christo eadem findone involuti, ut sicut ipse in sepulchro mortuus ad novam, & immortalem vitam produit, ita illi in novitate vitæ jam ambulent. Singularem verò hanc qualemcumque Hispanorum redemptionem, quam adstruimus, videtur indicare vox illa ad Petrum è cælo missa vers. 15. Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Ac si diceret (ait Irenæus lib. 3. cap. 12.) Deus emundavit Gentes per sanguinem Filii sui, quem & Cornelius colebat. Lege Ambrosium in cap. 6. Apocal. 1570 Denique observo ab Isaia fortasse dandos esse prædici signatim divites in moribus, vel cum cruciatibus, aut cum divitiis cruciatibus Christi, ut Hispaniensis Ecclesiæ Martyres unice commendaret, illorumque in perferenda tormentorum carnificina generositate. Et quidem tam ingens extat Hispanorum Martyrum numerus, ut tanto eos vaticinio dignissimos existimemus. Tot una Cæsaraugustana urbs in fidei causa, sub immanissimo Diocletiano, Martyres Christo peperit, ut non alio, quam innumerabilium nomine solitent appellari; à Dextro ad Annum 300. ab Ufuardo, & Romano Martyrologio, à Vincentio, & Equilino lib. 10. cap. 17. nec non & à Prudentio hymno 6. Peristephani. Atque ita sævisse Neronis persecutionem in universam Hispaniam, vel muti etiam lapides testantur, ut ab impiis credita sit tota ubique Catholica Religio extincta, & omnino deleta. De quo vide Ambrosium Morales lib. 9. Historiæ cap. 17. Baronium ad Ann. Christi 69. & Bivarium in Dextrum ad Annum 60. Dati igitur sunt Martyres Hispanienses in moribus, vel cum cruciatibus Christi, quia per societatem passionum ejus, & exceptam re ipsa mortem, Christo configurati sunt. Dati etiam cum divitiis cruciatibus Christi, quia patientibus ipsis, ipse etiam in illis patiebatur. De quo fusè in nostro opere de Martyrio. Finio tandem prælustribus Sancti Valeriani verbis hom. 17. de Bono martyrii. Respiciet dilectissimi ad aliarum regionum

studia, que videmus in amore sanctorum peregrinis laius florere commerciis; & intelligetis quantum nobis Dominus præstitit, vel quantum circa nos sollicitudinis, aut amoris impenderit, qui inter cæteras Nationes, quas salvandi studio respexit, etiam loca nostra martyrii eruore perfudit.

SECTIO XXVIII.

Innata Hispanorum fortitudinis ratio à Deo habita, ut quam plures eligeret ex nostra Hispania, tum ad opus Martyrii egregium, tum ad Christi Imperium longè latèque spatiandum.

1571 Plures è nostra Hispania in fidei causa gloriosam mortem oppetiisse, quam dinumerare possit nemo, nuper dicebamus. Disquirimus modò rationem aliquam, ob quam Deus tot Hispanos homines ad tam magnificum martyrii spectaculum signatim elegerit. Illa occurrit; innata videlicet ipsorum fortitudo, cujus aliqua ratio à Deo habita est, ut gratià preparante, & ad id roborante, ac potissimum operante, ad tam egregium opus, naturæ vires transcendens assumerentur. Sic Matth. 25. dicitur Matth. 25. Deus talenta distribuisse unicuique secundum propriam virtutem. Ubi Maldonatus nosler minimè existimat absurdum, si quis dixerit propriam cujusque virtutem naturam esse; quam etiam ex Deo, non ex nobis ipsis habemus, tamen nihil tam nostrum vocare possumus. Et verosimile putat, Deum in distribuendis donis suis, naturæ uniuscujusque rationem habere. Moyses proinde eligitur in Ducem, ac liberatorem Hebræorum, quia naturâ suâ prudentissimus, mitissimus, & communis boni zelo adeò inflammatus, ut fortiter in homicidium irruerit. Saulus item adversus Christianos armatus, & ut sapienter loquitur Chrysostomus in Acta Apostolica; Homo ad cades compositus convertitur ad cades errorum; eligitur à Deo ad Judaismi & Gentilismi excidium. Petri Apostolorum Principis animositas in educendo gladium, ut Christum propugnaret in horto, illum peropportunitate esse Catholicæ Ecclesiæ propugnatorem demonstrabat. Consulendus S. Augustinus, egregius divinae gratiæ encomiastes Tom. 6. lib. 22. contra Faustum c. 70. expendens Moysis fortitudinem in interficiendo Ægyptio; Pauli sævitiam in persequenda Ecclesiâ; Petri animositatem in amputanda Malchi auricula; subdit: Verumtamen animi virtutis capaces ac fertiles præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sunt accommodata, si fuerint præceptis exculta. Juxta hæc; si effecero, innatam esse Hispanis hominibus fortitudinem ad debellandos hostes, ad perferendos labores, ad dira quæque subeunda; si animi robore & strenuitate præstare reliquis Nationibus evicero; evincam planè illos esse ad Martyrii opus fortitudinis præstantissimum peropportunos, atque ea de causa quamplures ex nostra Hispania ad id fuisse divinitus assumptos. Ergo ad opus.

1572 Marineus Siculus lib. 5. de Rebus Hispaniæ; meo quidem, inquit, & aliorum judicio mortales omnes Hispani bellicæ virtute præcedunt. In cujus rei argumentum refert,

Quomodo Deus in distribuendis donis suis rationem habet. natura uniuscujusque.

S. Chryso.

S. August.

Bellicæ Hispanorum fortitudo, & fert,

robore in perferendis laboribus, & duris quibusque. Marineus Siculus. Pacatus. Vateus. fert, Franciscum Gallorum Regem, cum aliquando in sua illa ad Hispanias protectione adolefcentulos passim offenderet benè ensibus præcinctos, inflammasse: O felix Hispania, que viros parit, & nutrit! Latinius Pacatus de Hispania: Hæc durissimos milites, hæc expertissimos duces peperit. Joannes Vateus longant hac de re orationem textit Tom. 1. capite 9. de laud. Hispaniæ; cui ex multorum placito concedit insuperabile robur animi, & virtutem bellicam tantam, quantum ducentis annis expugnare non potuerunt Romani. L. Florus libro secundo rerum ab Ur. cond. illam vocat bellicicem, viris armisque nobilem, seminarium hostilis exercitus. A Tito Livio libro 4. de Bel. Marce. Gens ferox appellatur, nullam vitam rati sine armis esse; quippe qui in acie gaudio exultare soleant tanquam gloriose, ac feliciter vitæ excessuri. Quò facit Juliani Petri observatio in adversariis numero 52. momentis, Patrem, & avum fortissimorum militum, ac Martyrum Machabæorum ex Hispania adventasse in Judæam, & illorum Matrem fuisse Gaditanam. Constat Patrem, & avum septem sanctorum Martyrum Machabæorum ex Hispania venisse in Judæam, & post Machabæorum primum filium vocasse Joannem Gadis à Gadibus accepto nomine, quia ejus Mater dicitur fuisse Gaditana.

Titus Liv. Martirum Machabæorum avus Hispanus. Julian. Petrus. Addè ex Justino lib. 43. celebratur eodem bello Punico servi illius (Hispani) patientia, qui ultus Dominum (Tagum, quem lacerum, deformem, ac Cruce actum ab Hadrubali conspicebat) inter tormenta risu exultabat, serenaque læticia crudelitatem torquentium vitit. De quo latè Silius Italicus lib. 1. de Bello Punico.

Justinus. Hispani ferocii gens constantia & robore incredibile. Sili. Ital. Non ignis, candensque chalybs, non vulnera passim. Idibus innumeris lacerum scindentia corpus Carnificæ manus, penitusque infusa medullis Pestis, & in medio lucentes vulnere flamma Cessare; ferum visu, distulque per artem Servitiæ, extenti quantum tormenta sinebant, Creverunt actus, atque omni sanguine rupto, Ossa liquefactis fumarum turbida nervis.

Quid ad hæc fortissimus Hispanus, & fidelissimus servus? Subdit: Mens intacta manet, superat, ridetque labores, Spectanti similis, fessoque labore ministros Increpat, dominique Crucem clamore reposcit. Subinde de Hispanensi Natione Silius canit opportunè:

Prodiga Gens anima, & properare facillima mortem, Namque ubi transcendit florentes viribus annos, Impatiens ævi spernit novisse senectam: Et fati modus in dextra est.

Innata hæc Hispanorum fortitudo apertissima Martyrio in fidei causa.

S. Laurent. Hispanus. Nonne innata isthæc Hispanorum fortitudo, & belligerandi dexteritas opportunissimè tibi videntur ad opus Martyris, grande Christianæ fortitudinis spectaculum? Nonne illa in perferendis laboribus, omni exantlanda carnificia, & morte ipsa subeunda animosè, intrepidè, & hilariter, constantia & magnanimitas accommodatæ erant apud æquum æstimatorum, ut liquidius atque uberius fulgerent adjunctæ supernaturali fortitudinis? Audisti apud Prudentium in Hymno 2. Hispanicum Laurentium fortitudinis nomine illusterrimum? Sic Judicem compellabat in craticula coctus:

P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Coctum est, devora; Et experimentum cape, Sit crudam, an assum suavis. Audisti Hispanum quoque Vincencium (apud S. Vincent. eundem Prudentium Hymno 5.) sic vocife-Hispanus. rantem:

Extorque, si potes, fidem; Tormenta, carcer, ungula, Stridensque flammis lamina, Atque ipsa pænarum ultima Mors Christianis Indus est.

Cumque miris modis torqueretur, & excarnificaretur, Ridebat hæc miles Dei, Manus cruentas increpans, Quòd fixa non profundius Intraret artus ungula.

Tales in Martyrii palæstram è nostra Hispania Imperator cælestis milites produxit, ex innata quoque fortitudine robustissimos, gratià obarmanse robustiores. Cur non plures ex Hispaniensis Ecclesiæ feligat Christus ad cruentum Martyrii bellum, quam ex reliquis Nationibus?

1574 Ut verò res tota elucidetur Biblicè, expendendus nobis erit Isaia locus, de hac Fortes justitiae (ni me fallo) Hispanorum fortitudine pro-pheicus. Sic ille cap. 61. 3. Et vocabuntur in ea fortes justitiae, plantatio Domini ad glorificandum. Et edificabunt deserta à seculo, & ruinas antiquas erigent, instaurabunt civitates desertas, & dissipatas in generationem & generationem, &c. Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini: Ministri Dei vestri, dicitur vobis: Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum superbiitis. Futuros in Ecclesiâ fortes justitiae prædicat: id enim est, vocabuntur, id est, erunt. Unde Hebraicè legitur, fortes erunt justitiae, vel potentes erunt justitiae. Quòd mihi est; Hispani antonomasticè fortes potentissime justificabuntur, ut Ecclesiæ abjectæ, & pauperculæ sint tutamento firmissimo, fidelissimoque. Prædixerat quippe eodem Versu, mittendum à Patre Christum, ut poneret lugentibus Sion fortitudinem; ita habent multi Codices, tamen illa vox fortitudo ablii ab Hebræo. Græco, & Chaldæo. Ast probabiliter retineri potest, dicitur fortitudinem illam, in Ecclesiâ afflictam & lugentem, à Christo introductam, esse Hispaniensem Gentilitatem fortissimam, potentissimamque, quæ prima omnium fidem complexa est; Verè primitia ceterorum Gentilium, uti supra aiebat Dexter ad An. 36. Quò spectat Montani translatio ex Hebræo: Vocabuntur in ea Cervi justitiae illius; quam ita ipse elucidat: Divinae justitiae singularis conspicuè compotes, & antesignani; translatione à magnis cervis ac totius gregis ductoribus petita.

1575 Cæterum, cum Catholici Hispanienses Ecclesiam propugnaturi essent, usque ad sanguinis effusionem audacter & fortiter; illa eadem verba fortes justitiae, seu fortes justitiae, præsignant eorum fortitudinem martyrio apertissimam. Itaque fortes justitiae appellari contendo, quia fortes in patiendo pro justitia; qua ratione mundi Magister ait Matth. 5. 10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: id est, propterea quòd justitiae, & justitiam sequuntur, ut ibi explicat nosler Maldonatus. In quem sensum pulchrè cadit ea translatio, erunt in ea cervi justitiae; delumptà

Prudentius.

Forces justitiae Hispaniæ. Mar. yres. Isai. 61. 3.

Cervi justitiae.

Matt. 5. 10.



deſumpta à cervis comparatione, agitatis, & oppreſſis multà canum vi, ad perſecutiones Tyrannorum in fideles concitatas depingendas. Ut enim ſcitè obſervat noſter Alazar ad cap. 2. verſ. 7. Canticorum; quoties in eo libro fit cervorum mentio, ſemper eſt cum reſpectu ad perſecutiones, quas patiuntur fideles propter juſtitiã. Eapropter Tyranni dicuntur venatores, Pſalm. 99. 3. Geneſ. 10. 9. imò canes Pſalm. 21. 17. ubi ſermo eſt propheticus de Chriſto Cruci ſuffixo, habetque pro inſcriptione, In ſinem, pro ſuſceptione matutina. Ubi Hieron. ex Hebræo, pro cervã matutina, & in cap. 6. Oſeã pro cervo. Juvat hanc pro Martyribus intelligentiam onus illud, quod Cervi portant ſupra caput, & multis Crucem repræſentat, propereã quòd veneni ſit amuletum. Nimirum nihil neque antiquius neque potius Martyribus noſtris, quàm præ ſe, & ſupra ſe ferre ſalutiferæ Crucis lignum, ut proximè antea lapſo capite dicebamus.

1576 Rurfus, fortes juſtitia, multi ex Hebræo legunt, arbores juſtitia: unde conſequenter ſubditur, plantatio Domini ad glorificandum. LXX. ad gloriam. Vatablus, ut glorificem me in illis. Pagninus, plantatio Jéhova, ut glorificet. In quibus verbis, & aſſumpta arborum, & plantarum metaphora apparet Hiſpanorum fortitudo, & tenacitas admirabilis in retinenda Catholica religione ſemel ſuſcepta; quam tempeſtas nulla, nullus ventorum, aut turbiniſſimus impetus evellere poterint unquam. Lege quæ de fidei Chriſtiane puritate in Hiſpania, & ardenti divini religionis zelo, & cultu ſcribunt Mariæus Sculus de Rebus Hiſpaniæ lib. 5. Joannes Vaſeus Belga lb. 1. Chron. Hiſpan. cap. 9. Simancas de Cathol. Inſtitut. tit. 3. n. 3. & 14. Valdeſus de dignit. Reg. Hiſp. cap. 20. à num. 19. Gregorius Lopez Madera in Monar. Hiſpan. cap. 6. fol. 46. & cap. 112. à numero 3. Joannes à Salazar in Politica Hiſpana Propoſitione 3. Joannes de Solorzano in diſput. de Indiarum jure lib. 2. cap. 25. numero 13. & 21. Unum audi S. Thomam à Villanova Archiepiſ. Valentinum in Serm. de S. Jacobo.

S. Thomas à Villano.

Quanta gloria noſtræ Hiſpaniæ, quantum favor à Deo talem recepſiſſe Patronum, unum ex tribus chariſſimis Dei! Grandis favor Domine, quòd ſic eſtimaviſti eam, & quòd tanti eſt apud te in fine mundi poſita: non enim ſic eam eſtimaviſſes, & tanto Patrono ditaviſſes, niſi grandis futura eſſet. Nam licet priùs barbara, & ruſtica; in ea tamen fides tua pura, & cultus tuus uſque in ſinem permãſit. Ecce Achaia, Egyptus, India, Aſia, Græcia, omnes perditæ ſunt, & ex Provinciis Chriſtianiſſimæ infectæ. Hiſpania maxime ſervat fidem illaſam meritum, & patrocinio hujus ſanctiſſimi Apoſtoli. Certè Hiſpani ita ſtudioſè & fortiter Chriſtianam fidem ſemper coluere, ac retinere, ut immoti, ſtabilesque durarint, quantiſlibet excitatis decumanis, effuſam in ſe Tyrannorum crudelitatem infractò excipientes peſtore, quali ab ipſo ferro opem animumque ducerent; ut videre eſt in Hiſpanienſibus Martyribus penè infinitis, quovis ævo à Chriſto paſſo. Verè ipſi, fortes juſtitia, ſeu arbores juſtitia. De quibus illud jure merito prædicet, cujus meminit S. Gregor. Nazian. in Cra. 27. Eſt quedam in fabulis arbor, quæ cum caditur, vivet, &

S. Nazian.

adverſus ferrum certat; ac ſi de re nova novo modo loquendum eſt, morte vivit, & ſeſſione pullulat, atque cum abſumitur, creſcit. Habetis fabulam jure ſuo quidvis liberè conſingentem. Mihi verò ejuſmodi quiddam planè eſſe vir Philoſophus videtur; floret enim inter cruciatum, ac vitæ moleſtias virtutis ſegetem exiſtimat, atque in adverſis geſtit, & gloriatur. Hinc dicta Chriſtiana Hiſpanorum Gens, plantatio Domini ad glorificandum: id eſt, ut clara Dei notitia cum laude toto orbe diſfundatur. Propterea ſubdit Vates:

1577 Et ædificabunt deſerta à ſæculo, & Per Hiſpanias ruinas antiquas erigent; & inſtaurabunt civitates deſertas, diſſipatas in generationem & generationem. Quid impedit, quominus hæc verba propheticò ſenſu capiantur de novis orbibus incultæ Gentilitatis ad Chriſti fidem deductis, Hiſpanorum armis, impenſis, prædicatione, ſudore, ardore? In hoc uno opere egregio reſplendet ſummopere Hiſpanienſis Eccleſiæ ſtrenuitas, & ingens erga Deum amor: quandoquidam pro ſpatianda Catholica religione, multa tolerarunt noſtri, famem, ſitum, nuditatem, æſtum, terram, cælum, ſeras, homines, cruciatum, neces. Pagninus & Vatablus efferunt: Novos populos, qui nihil de Deo audierunt, inſtituent. Lyranus verò explicat: Gentiles adducunt ad Eccleſiam, & ruinas antiquas erigent; id eſt, Gentiles erigent ad ſtatum fidei, qui ab antiquo fuerunt ruinoſi in peccato idololatriæ. Audiendus hic Thomas Bozius magnæ vir eruditionis, lib. 3. de ſignis Eccleſiæ cap. 1. Nulla, ait, unquam gens, ex quo Adamus habuit liberòs, tot nationes moribus, ac ritibus diſſimiles ad unius religionis cultum, vel earundem legum ſtudium perduxit, ut Hiſpana. Vix enim quiſquam poſſit enumerare gentium varietatem, moreſque illarum prorsus inter ſe dividentes, quas Hiſpani ſub imperium ſuum miſerunt, uniuſque Dei cultum. Sunt in promptu Hiſtoria, legat qui velit. Hæc & meritò quidem, externæ nationis Auctor, qui & familia habet lib. 12. cap. 21. & lib. 21. cap. 3. & lib. 7. cap. 4.

Pagni.

Vatab.

Lyranus.

Bozius.

1578 Sibi conſonat Iſaias cap. 18. 1. ita prædicens: Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans ſumina Æthiopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas. Ite Angeli veloces ad gentem convulſam, & dilaceratam, &c. Illud mihi haud dubium eſt, patronos numeranti locupletes, ſermonem hic eſſe litterarium de Evangelica Hiſpanorum prædicatione apud Indos orientis ſolis, deque Indorum converſione, populifque novi orbis ſubjugandis Chriſtiane religioni. Ita Arias Montanus, Joannes Fredericus Lumnus. Ludovicus Legionenſis, Baſilius de Leon, Joan. Fernandez, Rebellus, Malvenda, Bozius, Del Rio, Guevara, Rutilius, Benzoni, Nigrionius, Mendoza, Pineda, & alii, quos refert & ſequitur P. Sherlogus in cap. 7. Canticor. Veſtigiatione 35. Sectione unica. Quòd autem veteres Expoſitores prætermiſerint hanc interpretationem, mirum non ſit; quia (ut ex ſancto Irenæo multi obſervant libro 4. contra Hæreſes cap. 43.) rerum illi ſucceſſibus non edocebantur, & vaticinia occulta ſæpè non intelliguntur, donec completa ſint: noſtris autem temporibus hæc completa videmus. Certè, etſi de allata Indorum populis Evangelii face præjectum Iſaiæ

Iſaiæ vaticinium conſtruat, in exponendi ratione varii variant.

1579 Ego verò ita ſtatuo, locum Iſaiæ intelligendum de Hiſpanis hominibus cymbalo alarum, id eſt, claſſibus inſtructis. Hos planè adhortatur Vates. Væ, Hebræicè boi, id eſt, age, heus tu terra (ait Vatablus) quæ eſt ſita ultra Æthiopiã, id eſt terra tu in extremo orbe poſita; quæ abundas navibus: vel, ut Chaldæus exponit, terra, ad quam veniunt navibus de terra longinqua; & vela eorum extenſa ſunt, quaſi aquila, quæ volat aliſ ſuis. LXX. terra navium alarum. Ubi ſanctus Cyrillus: Alas navigiorum nomina vela, in qua ventorum impetus incidentes per medios fluctus aliſ inſtar eos deſerunt. Hiſpanos haud dubiè, Hiſpanienſesque claſſes excitat, ut de longè, id eſt, de extremis orbibus ſinibus navibus veſti Evangelici Prædicatores panem doctriinæ transportent ad novi orbis populos. Terram hanc eſſe trans ſumina Æthiopiæ, Iſaias ait: eſt enim, ut ex multis obſervat Sherlogus memoratus, duplex Æthiopia, & Æthiopia Orientalis, ſive interior, ſuperiorque, & Æthiopia occidentalis, ſeu exterior, inferiorque. De hac Iſaias loquitur, quæ cum ea Africæ parte, quæ Gaditanis allitur fluctibus, continens diſſiſſimè expatiatur, ab Oriente, Meridie, & Occidente Oceano perſunditur, donec tandem in ſinum Arabicum, & Promontorium Praſum declinet; à Septentrione duobus veluti brachiis Abaſſynorum ditionem, hinc inde circumvolvitur. Subtextit Vates:

Vatab.

Chaldæ.

LXX.

S. Cyrill.

Hiſpanienſes claſſes.

Reges Hiſpaniæ exſpicienda Chriſti fidei àntentiſſimi.

ip

1580 Qui mittit legatos in vaſis papyri. Vocula qui ad Hiſpaniarum Regem referenda; tranſit enim à regno ad Regem per enalagem perſonæ; ac ſi dicat: Rex Hiſpaniæ, utpote Catholiciffimus, flagrans non tam ſui imperii dilatandi, quàm Chriſtiane religionis exſpiciandæ ſtudio, mittit legatos divinarum Scripturarum peritiſſimos. Sic explicò illa, in vaſis papyri; id eſt, in instrumentis, vel cum instrumentis papyraceis, novo veterique Teſtamento. Atque hanc mihi mentem ingerunt LXX. Seniores ita efferentes: qui mittit Epistolâs Biblias. Arabicus, qui mittit ſcripturas, ſeu libros papyri. Hiſpanienſes deinde illuſtri excitat Angelorum nomenclatione, ut ad novum orbem enavigent, Chriſtianum nomen propagaturi. Ite Angeli veloces ad gentem convulſam, & dilaceratam &c. ad Gentem exſpectantem. Ex Hebræo multi vertunt: ad gentem lineæ lineæ, ſeu ad lineam. In quibus verbis nonnulli fieri alluſionem putant ad lineam æquinoctialem, quam Hiſpani navigando in Indiam bis pertranſeunt in flexu promontorii, quod bonæ ſpei vocant; ſemel prodeuntes ad Auſtrum; iterum ad Aquilonem redeuntes. Sed præſtat aſſerere, Kau ſignificare lineam, ſeu funiculum ædificatorum, normam, perpendiculum, regulam, directorium ab ædificatoribus admotum materiæ ædificii, ut ad amuſſim paulatim opus efferatur, & perſiciatur. Excitat igitur Iſaias Hiſpanienſes viros, Evangelii præcones, eximie ſanctitudinis, zelique præſtantis homines, ut advolent ad gentem exſpectantem, ſeu lineæ lineæ, aut funiculi ædificatorii: ut illam ſpiritualiter in novam Eccleſiam conſtruant, & à perſidiæ ruina, in qua jacet, in fidei ædificium excitent. Unde illa Pſalmodi vox Pſalm. 18. 5. ad Apoſtolos, viroſque Apoſt. Uleph. de Flores in Eccleſ.

ſollicos: In omnem terram exivit ſonus eorum. Hebræicè, ſilum, lineo, ædificii perpendiculum. Quæ omnia mirè conſonant Iſaiæ verbis, quæ verſamus: Et ædificabunt deſerta à ſæculo, & ruinas antiquas erigent, &c. ut appareat ad homines Hiſpanos utrumque vaticinium referendum.

1581 Rurfus poſtquam verſ. 5. famulatum, & obſequium Gentium ad Chriſtum adduſtarum uni Catholice Eccleſiæ exhibendum commendavit Iſaias eo cap. 61. Hiſpanos homines appellat Dei Sacerdotes, & miniſtros. Vos autem ſacerdotes Dei vocabimini, miniſtri Dei noſtri, dicitur vobis. Ubi tamen Sacerdotum nomen queat propriè uſurpari pro ſacrificatoribus, atò tamen in præſentiarum ſumi proverbiali ſpecie pro iis, qui nobiles ſunt, & principes, valdè Deo familiares, & præcipuo loco apud illum, ut eruditè probat noſter Sanctius, ex Abulenſi in 1. Paral. 18. ſine, & 2. Reg. 8. 18. & 1. Petri 2. 9. & Apocal. 1. 6. Hac in gratia apud Deum eſſe Hiſpanos homines, ſatis probant ea, quæ hæc tæntes diximus. Quid ſubinde? Concludit Vates: Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis. Prioribus verbis divitiæ multæ, & alia vitæ ſubſidia Hiſpanis promittuntur, quæ abundè in Hiſpaniam adportantur ex utraque India Orientali, & Occidentali, noſtrorum prædicatione, & impenſis ad Chriſtum traducta. Fortitudo enim ex ſacræ Scripturæ uſu, pro divitiis ſolet accipi. Iſai. 60. 5. & 11. Ezech. 28. 4. & 5. Sed præſtat huic intelligentiæ altera Hieronymi litteram prementis: Fortitudo autem gentium eſt triumphus Martyrum. Etenim Hiſpanienſes viri dederunt Eccleſiæ univerſali, ex Orientali & Occidentali India, non ſolum ſectatores Chriſti innumeros, ſed ex iis quàm plurimos pugiles fortiſſimos, qui pro fide, ac religione ſemel ſuſcepta acerbiffimos quoſque ſuppliciorum cruciatum, & mortem ipſam magnificentiſſimo patientiæ ſpectaculo ſuperarunt. Hic itaque Martyrum triumphus ſic Hiſpanos ornavit luculenter, ut ſupra omnes gentes ſplendidi judicentur, & lauti. Unde vertunt, & in gloria earum ſuperbietis. LXX. per illis, eritis admirabiles: Aquila; purpurâ veſtiemini; ut in ſigne (addit Hieronymus) Regi decoris oſtenderet.

Divitiæ multæ Hiſpanorum à Deo.

Hiſpani Martyres.

SECTIO XXIX.

De eximia Hiſpanorum pietate in diviniſſimum almæ Euchariſtiæ Sacramentum vaticinia aliquot.

1582 Iterum premo illa incarnatæ Sapien-tiæ verba; Et radicavi in populo bonorificato, & in parte Dei mei hereditatis illius. Etenim in Eccleſia Chriſtiana Chriſtum Dominum firmiter eſſe radicatum Euchariſtiæ myſterium, ſuprà ſtatuiſſimus ex Oſeã, & Ambroſii teſtimoniis. Vox enim, radicavi, educationem præ ſe fert, ut obſervat ibi noſter Cornelius; nam ſicut animalia ore ſumunt cibum, ita plantæ per radicem ſugunt ſuccum & alimentum: Radix in plantis ſimilis eſt ori in animalibus, inquit Ariſtot. lib. 2. de Anima. Illud unum hic illuſtrandum ſuſcipio; nimirum, etſi Chriſtus Dominus ſic radicatus dicatur in univerſali Eccleſia, ſignatè tamen